

«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (57)

14.3. De initio administrationis deque Archiabbatis resignatione (4)

Digressio: QUAEDAM SUPPLENDA

2. De aestimatione Archiabbatis Norberti Weber

Respicientes ad vitam atque temporis spatium, quo Archiabbas Norbertus Weber munere suo functus est, nunc saltem breviter eius personam eaque, quae effecerat, aestimare conari volumus.¹ Tamen haec pars ne sit hagiographia. Nam prae ingenio, prae facultatibus, prae meritis Abbatiae Congregationisque effectis nihilominus interdum imbecillitates ambiguitatesque quōque apparuerunt, praesertim sub fine temporis spatii muneris. Ubi multum luminis, ibi etiam umbra.²

Primo negari non potest, quin progressus internus externusque Abbatiae Congregationisque tempore Archiabbatis Norberti valde effloruerit. Cum Abbas Norbertus anno 1903^o benedictione abbatiali munus suum suscepit, in



Monachorum Conventus Ottiliensis anno 1915^o unā cum Archiabbate Norberto.

1 Analysim vere bonam praebet Cyrill SCHÄFER (2005), pp. 203 sqq.

2 Itaque subtitulus libri, quem Cyrill SCHÄFER (2005) scripsit, vere aptus est: «De magnitudine atque terminis primi Archiabbatis Ottiliensis» [«Größe und Grenzen des ersten Erzabtes von St. Ottilien»],

monasterio Ottiliensi nonaginta monachi vivebant,³ et in fine eius spatii temporis in Archiabbatiā 373 monachi numerabantur.⁴ Descriptione historicā iam exhibitā imprimis etiam extensio externa Congregationis et intra Germaniam et etiam quoad regiones missionarias atque fundationes externas manifestatur. Haec omnia evenērunt e consiliis Norberti Weber⁵ gradatim peractis. Sane non unaquaeque fundatio perpetuo mansit et nonnullae iterum abiciendae erant. Tamen in summā dici potest temporis spatio Norberti Weber fundamentum structum esse, supra quod Congregatio hodiernis quōque temporibus adhuc posita est. Itaque nonnulli Norbertum Weber appellare solent secundum fundatorem Congregationis Ottiliensis,⁶ id quod fortasse revera hunc in modum percipi potest. Eā de causā etiam sub aspectū progressūs Abbatiae Congregationisque gesta Norberti Weber quoad condiciones ultimorum annorum, quibus munere suo functus est, diiudicari non licet, quibus Tragoessianum problema crescens multa obumbravit. Principalis enim cogitatio Norberti Weber in praedio silvestri Tragoessiano emendo per se haud mala erat, nempe aliquid habere voluit, quo satis lucri praebebatur, ut regiones missionariae bene sustentari possent. Cum autem neque Archiabbas ipse neque cellerarii, quibus rem commisit, in rebus pecuniariis huius magnitudinis scientiam aptam habebant, totum inceptum in irritum cadere debuit. Quod Archiabbas Norbertus condicione periculosissimā consultationes posteriores ipse suscepit et multa maioris momenti constituit neque consilia auxiliumque peritorum quaesivit, fortasse eā de causā sic se habuit, quia rei desperatae periculum in se recipere et ipse rem ad bonum finem perducere voluit. Sed etiam hōc condicionibus tunc datis prospere evenire non potuit. Norbertus Weber erat vir intellegens, excultus atque bonā indole multipliciter

3 *Cfr* Directorium 1904. - Sub hōc numerō non numerantur duodecim monachi, qui in loco Sancti Ludovici versabantur, neque triginta monachi, qui in regione missionariā Africae Orientalis operabantur.

4 *Cfr* Schematismus 1930. - Hic numerus compositus est e 77 sacerdotibus, e 43 clericis, e 10 novitiis clericis, e 220 Fratribus et e 17 novitiis Fratrum. Etiam hic monachi in regionibus missionariis laborantes non adnumerantur.

5 Progressūs boni in ipsis regionibus missionariis et in novis fundationibus scilicet singulis Superioribus missionariis et Superioribus in ipsis locis debentur.

6 Tamen etiam Abbas Ildefonsus Schober Seccoviensis, qui P.re Andrea Amrhein discesso ad tempus ut Superior generalis Congregationem ducendam suscepit atque condicionem illo tempore incertam stabiliverat, saepe - et hoc quidem non iniuste - secundus fundator appellatur (*cfr* Vol. 1, capp. 2.3 sqq.). Sed ille titulus in utraque persona alium aspectum habet.

praeditus. Primum, quod multis in conexū de ipso agente in mentem venit, est eum operam navisse ut artificem, quae inclinatio per totam eius vitam valuit.⁷ Multa, quae creavit, ad themata religiosa spectabant, sed exstant etiam pulchrae imagines regionum atque delineationes hominum.⁸ Tamen Archiabbatem Norbertum tantummodo ut artificem aspicere non licet, cum ei multo plurae facultates fuerint atque mulo plures res eius interfuerint.⁹

Imprimis hōc in conexū indicandum est eum ut auctorem atque oratorem egisse, quo modo magnum effectum exseruit.¹⁰ Praeter libros de Corea¹¹ divulgationibus suis praesertim in themata missionaria incubuit.¹² Ibīdem saepe prospectum mirum monstrat, qui interdum tempus suum longe excessit.¹³ Itaque Norbertus Weber praeterea orator desideratus erat variis in conventibus, quibus agebatur de thematis missionariis. Tali autem intentione scriptoris oratorisque non solum sibimet ipsi, sed etiam Abbatiae atque Congregationi magnam auctoritatem comparavit. Effectus quidam huiusmodi actionum erat in eo, quod academica facultas theologiae studiorum uni-

7 Index chronologicus delineationum picturarumque aquariorum invenitur apud Cyrillum SCHÄFER (2005), pp. 217 sqq. Quamquam hic index vere amplus est, secundum eius auctorem non est completus. Itaque etiam sculpturae atque imagines altaribus destinatae, quae in Africā factae sunt, non exhibentur.

8 Praeter folia singula eius delineationes picturaeque aquariae inveniuntur etiam in eius libris de Corea scriptis et in eius diariis itinerariis.

Norbertum Weber aestheticam indolem artificis habuisse praeterea monstratur manuali scripturā pulchrā, quae nihilominus bene legibilis est.

9 «Artifex sane erat»: haec sententia saepius auditur vel legitur, cum Norberto Weber aliquid non ita bene cessisse videbatur. Sed talis descriptio angustata ei non bene convenit.

10 Intra Congregationem non tam bene receptus est Norberti Weber libellus, cui titulus est «Euntes in mundum universum» (1908). Tamen hōc aliquo modo intellegi potest, cum illud scriptum specialiter ad missionem Africae Orientalis directum erat (aliae regiones missionariae Ottilianae illo temporis momento nondum exstabant). Multis missionariis iam pridem in Africa Orientali versantibus perceptio displicuisse videtur Abbatem Superioremque generalem ipsis - ut opinabantur - modum progrediendi in operis missionarii praescribere voluisse. Missionariorum, qui postea in Corea, in Africa Meridionali, in insulis Philippinis operabantur, interesse non potuit liber, qui est «Euntes ...», quia apud ipsos de omnino alio cultu civili agebatur. - Fusius de libro, qui est «Euntes ...», *cfr* Vol. 1, cap. 4.1.

11 «Im Lande der Morgenstille» (1915), «In den Diamantenbergen Koreas» (1927). - De eis *cfr* Vol. 2, cap. 6.1.2 et supra cap. 10.1.2.


12 Cyrill SCHÄFER (2005), pp. 213 sqq. indicem scriptorum, quae Norbertus Weber divulgaverat, exhibet. Sed hic index quoque non prorsus completus est.

13 Fusius de scriptis Norberti Weber *cfr* Vol. 2, cap. 4.

versitatis Monacensis Archiabbi Norberto propter merita de scientiis missiologicis mense Iunio a. 1922ⁱ doctoratum honorarium attribuit.¹⁴

Praeterea Norberto Weber inclinatio facultatesque practicae erant. Hoc apparuit imprimis in eo, quod rebus technicis valde affinis erat.¹⁵ Iam inter primum bellum mundanum talia manifestantur, cum in instrumento radiographico administrando cooperatus sit in nosocomio militari, quod in Archiabbiatā Ottiliensi institutum erat.¹⁶

Specialis autem amor spectabat ad artem photographicam et postea etiam ad pelliculas cinematographicas conficiendas. Usum vero instrumenti cinematographici ipse autodidactice sibi acquisiverat. Tamen pelliculas imprimis in Asia Orientali, id est in itinere suo visitationis anno 1925^o in Coream suscepto confecit.¹⁷



Diploma doctoratūs honorarii Archiabbi Norberto Weber attributi.

14 Cfr Diploma doctoratūs honorarii, 17.6.1922 (ASO, A.1.1 (PA Weber)). - Cfr etiam Missionsrundschaу. In: KM 51, 1923, p. 103. Ibīdem legitur Norberto Weber «*meritis extraordinariis agnitis, quibus missiologiam fovit*» hunc honorem attributum esse. Et porro: «*Archiabbi Weber non solum missiones Congregationis ipsius in Africa Orientali et Meridionali, in Corea et Mancuria sitae multum debent quoad progressum suum. Etiam ad missionariam vitam patriam firmandam operam contulit orationibus suis atque libris, c.t. «Menschen Sorge für Gottes Reich» et libro itinerario, c.t. «Im Lande der Morgen-stille».*» (Textus originaliter Theodiscus). - Commemoratur doctoratus honorarius etiam Mbl 26, 1921/22, p. 211 (Aus der Klosterwelt) et in Chron. Ottil., Paschate usque medium aetatis 1922, ubi adnotatio quōque legitur haec: «*Pater Archiabbas tamen hōc honore ex parte studiorum universitatis attributo percepit missionariorum nostrorum labores domi forisque fideliter exanclatos agnitos esse.*» (Textus originaliter Theodiscus). Scientias missiologicas catholicas recenter institutas Norberti Weber interfuisse cfr etiam cap. 11.1.

15 Etiam quaestiones architecturae ipsi erant magni momenti, quā in re praesertim structuram aedificiorum accommodatam esse voluit et salutem inquilinorum respexit. Talia apparent ex.gr. multis adnotationibus in diariis itinerariis inventis, quibus in aedificia stationum Africae Orientalis incubuit.

16 Cfr Vol. 2, cap. 8.1.

17 Ultimis annis suis, quos post resignationem in Africa Orientali degit, Norbertus Weber adhuc photographemata quidem fecit, sed non iam pelliculas.

Hōc in conexū exortae sunt pellicula itineraria, cui titulus est «Iter in extremas partes Orientis» [«*Reise in den fernen Osten*»], pellicula quaedam de insulis Philippinis, cui titulus est «Margarita Orientis» [«*Die Perle des Ostens*»] et plures pelliculae de Corea, nempe «In terra quietis matutinae» [«*Im Lande der Morgenstille*»], «Nuptiae quaedam Coreanae» [«*Eine koreanische Hochzeit*»], «Inter iuventutem Coreae» [«*Unter der Jugend Koreas*»], «In missionariis campis Coreanis» [«*Auf koreanischen Missionsfeldern*»], «Cultus maiorum» [«*Ahnenkult*»].

Scitū autem dignum hac in re est Archiabbatem Norbertum has pelliculas recepisse, cum ecclesia catholica pelliculas tamquam possibilitatem, qua fides Christiana dissiparetur et praeconia fierent pro laboribus exteris Germanicorum Ordinum religiosorum, repudiavit, quia generaliter putavit cinematographia de descensū morali esse responsalia.¹⁸

Tamen pelliculae, quas Archiabbas Norbertus confecit, principaliter differabant ab operibus cinematographicis aliorum catholicorum et praesertim protestanticorum auctorum, quorum scopus erat in Germania inflammationem rerum missionariorum excitare. E contrario in pelliculis Norberti Weber agebatur de aspectibus ethnographicis, id est de scopo, quo cultus civilis Asianus, speciatim Coreanus ante oculos ponitur.¹⁹ Photographēmata atque

18 Cfr Heiner SCHMITT: Kirche und Film. Kirchliche Filmarbeit in Deutschland von ihren Anfängen bis 1945. Boppard/Rh. 1979, pp. 55 sqq.; Frank Thomas MEYER: Bekehrung mit der Kamera. Filme der Äußeren Mission. In: Peter ZIMMERMANN (ed.): Geschichte des dokumentarischen Films in Deutschland. Bd. 2. Stuttgart 2005, p. 214; You Jae LEE: Publizist, Filmemacher und Sammler. Erzabt Norbert Weber und die katholische Mission im kolonialen Korea. In: Marlen BÜTTNER / Christine HARTIG / Tilmann SIEBENEICHNER (edd.): Montagen zur Herrschaftspraxis in der klassischen Moderne. Alltagshistorische Perspektiven und Reflexionen. Essen 2013, p. 137.

Mutatio generalis hac in perceptione denique in consultationibus episcoporum anno 1927^o et anno 1929^o habitis efficiebatur.

19 Pelliculas Norberti Weber esse extraordinarias iam in primā exhibitione pellicularum, quae sunt «Die Perle des Ostens» (2.2.1927) et «Im Lande der Morgenstille» (3.6.1927) et quae in Monacensi Museo Ethnographico monstrabantur, huius Musei praepositus Prof. Lucianus [Lucien] Schermann magno cum laude protulerat. - Cfr fusa relatio harum exhibitionum in Chron. Ottl., m. Ian. ad m. Maium a. 1927. - Sed etiam in litteratura posteriore illas pelliculas scopum ethnographicum habere et esse ad rem pertinentes indicatur. Cfr You Jae LEE: Publizist, Filmemacher und Sammler. In: Marlen BÜTTNER / Christine HARTIG / Tilmann SIEBENEICHNER (edd.) (2013), p. 138; Frank Thomas MEYER: Bekehrung mit der Kamera. In: Peter ZIMMERMANN (ed.) (2005), p. 213 (ceterum p. 213 Meyer ad acta diurna, q.t. «Bayerische Staatszeitung» referens per errorem scribit pelliculā, quae est «Die Perle des Ostens», incumbi in Coream, sed ibidem revera agitur de insulis

pelliculae Norberti Weber itaque potius erant documentariae. Etiam his rebus - sicuti libris quōque suis atque notitiis in diariis itinerariis descriptis - demonstravit cultum civilem indigenarum in regionibus missionariis Benedictinis viventium sua interesse. Quattuor ex illis pelliculis officiali licentiā per censuram datā²⁰ variis in oppidis publice monstrabantur, et hōc quidem ut videtur satis bono effectū.

Archiabbas Norbertus erat vir vere strenuus industriosusque, cui erat magna disciplina sui ipsius. Aliter autem labores multiplices muneris atque varia alia incepta exanclanda fieri non potuissent. Tamen videtur ei facultas defuisse, qua labores aliis tradere atque eis confidere valeret.²¹ Talis autem condicio decursū temporis necessario ad nimium onus laborum duxit, praesertim cum munera Abbatibus Ottiliensis atque Superioris generalis Congregationis unione personali coniuncta essent.



Norbertus Weber in grapheo suo.

Generaliter Archiabbati Norberto - usque ad certum temporis momentum²² - munus suum, officia sua atque possibilitas Congregationis formandae

Phillipinis).

20 «Nach dem fernen Osten» (2 disci cinematographici) comprobata die 28 m. Dec. a. 1926 (ASO, AVO Dok. 01-60/05); «Die Perle des Ostens» (5 disci cinematographici) comprobata die 28 m. Dec. a. 1926, ut pellicula doctrinalis comprobata die 22 m. Iun. a. 1927 (ASO, AVO Dok. 06-60/08); ad hanc pelliculam pertinens adhuc exstat typoscriptum acroasis P. ris Fridolini Zimmermann, quae ut interductio ad pelliculam spectans prolata erat (ASO, AVO Dok. 06-60/08); «Im Lande der Morgenstille» (6 disci cinematographici) comprobata die 21 m. Mart. a. 1928, ut pellicula doctrinalis comprobata die 26 m. Mart. a. 1928 (ASO, AVO Dok. 02-60/06); «Eine koreanische Hochzeit» (1 discus cinematographicus) comprobata die 21 m. Mart. a. 1928, ut pellicula doctrinalis comprobata die 26 m. Mart. a. 1928 (ASO, AVO Dok. 04-60/07). - Reliquae pelliculae supra commemoratae videlicet publice non sunt monstratae, sed tantummodo privatim exhibebantur.

21 Hunc in modum etiam P. Petrus Wachter, illius temporis secretarius Congregationis, rem descripsit in epistulā die 3 m. Maii a. 1925 ad episcopum Thomam Spreiter directa (ASO, Z.3.01.5).

22 Inde ex anno 1919^o Archiabbas Norbertus interdum rogavit, ut a munere se abdicare sibi liceret. Nescimus autem, quam serio hoc desiderium revera fuerit.

placuit laboresque libenter fecit. Nihilominus ipse erat homo modestus. Talis vero modestia praeter indolis dispositionem generalem fortasse etiam cohae-



Mitra Abbatis Norberti Weber.

Anterior pras: Sancta Ottilia.

Posterior pars: Sanctus Norbertus.

rebat cum ipsius Christianā fide profundā et veneratione Beatae Mariae Virginis.²³ Nihilominus clarae perceptiones atque iudicandi mensura theologico-moralis ei erant, et quod attinebat ad monachismum et quod attinebat ad missionem. Missioni esse magnum pondus ei omnino persuasum erat, quā in re coniunctio inter monachismum Benedictinum et labores missionarios ei erat maximi momenti. Generaliter iudicium bonum clarumque de multis rebus conexibusque habuit. Haec facultas notatū digna tamen decursū ultimum annorum muneris proh dolor minuebatur. Si eandem servare potuisset, nonnulla problemata non essent exorta.

Norbertus Weber semet ipsum hominem pavidum esse descripsit. Aliquateenus hōc verisimiliter verum erat, sed nihilominus tantummodo partim hōc valebat. Nam ei erat bona facultas communicandi, cum aliis hominibus facile colloquia instituit et bene attenteque auscultare valuit.²⁴ Praeterea Norbertus

23 Haec veneratio Beatae Mariae Virginis etiam apparet in dicto suo abbatiali, quod erst «Ave Maris Stella».

24 Talia praeter alia etiam in eius itineribus visitationis animadvertebantur, uti apparet ex adnotationibus in diariis itinerariis factis.

Cyrrill SCHÄFER (2005), p. 207 hōc in conexū scribit pudicitiam Archiabbae non fuisse obstaculum eum occasionibus officialibus bene atque efficaciter se praesentare valuisse. Porro adnotat esse «delectabile eum in pelliculis observare, ubi elegantia atque dignitate

Weber videlicet erat vir sensibilis harmoniamque desiderans. Itaque saepe non valuit stricte opponere hominibus, qui eum ex causis quibuscumque urgebant. Verisimiliter nonnullis in casibus etiam resistere noluit, imprimis cum agebatur de precibus confratrum, quas explevit. Talem modum se gerendi alii ei obiecerunt esse mancā facultatem muneris exercendi.²⁵ Tamen non semper facile est salubrem viam intermediā inter segnitiam et rigorismum invenire. Nam quaecumque aliquis facit, alicui alii ex perceptione subiectiva id non placebit.²⁶

Tamen decursū temporis haec Norberti Weber dispositio indolis aliis quōque in conexibus magis apparuit, quā de causā revera difficultates muneris exercendi exortae sunt. Onus Congregationis intrinsecus extrinsecusque extentae decursū duodeviginti annorum, quibus munere functus est, magis magisque gravius reddebatur. Valetudo Archiabbatis debilitata erat et ipse psychice corporaliterque exhaustus erat. Talis condicio unā ex parte cohaerebat cum magno onere laborum atque cum problematis crescentibus, alterā ex parte etiam cum eius sensū non sine causā percepto Conventum monachorum esse in se divisum eundemque non unanimiter ipsum sustentare. Inde evēnit, ut Archiabbas Norbertus id fecit, quod in dissensionibus conflictationibusque facere solebat: se recepit atque silentium obtinuit.²⁷ Tamen talis modus se

in scaenam prodire scit». (Textus originaliter Theodiscus).

- 25 Cyrill SCHÄFER (2005), p. 208 existimat hanc «indulgentiam» Archiabbatis modo non nimis exaggerato esse diiudicandam, cum ex internā magnanimitate donare quam reprimere praetulerit.
- 26 Hōc locō exemplum iam allatum et aliquatenus significans P. ris Meinulfi Küsters iterum commemoretur, qui quidem propter difficultates pecuniarias, sed etiam propter problemata disciplinae in Archiabbatiā vigentia a Congregatione Religiosorum, ut visitatio fieret, postulaverat. Cum Abbas Coelestinus Maier tamquam sequela huius visitationis Administrator in temporalibus redditus esset et idem strictam viam parsimoniae secutus esset, P. Meinulfus cum illo magnas dissensiones exercuit, verisimiliter eā de causā, quia Abbas Coelestinus de pecuniā interrogare ausus est, quam P. Meinulfus salarium Musei Ethnographico accepit.
- 27 Quod attinebat ad dissensiones, quas cum Thoma Spreiter habuit, Norbertus Weber opinionem suam protulit exempli gratiā in epistulā die 25 m. Iun. a. 1926 ad episcopum directā (ASO, Z.3.01.5) scribens haec: «*Semper opprobrium submissum vel magnā voce prolatum percipere puto me raro scribere. Sed, quid scribam? Res novae in chronicis leguntur. Defensionesne? Tales solum dissensiones atque similitates afferunt. Respondeamne ad querimonias? Hoc solum amaritudinem efficit. Puto me bene facere, si magis magisque silentium servo. Anima post nonnullas procellas in fine tamen viam iterum invenit.*»

gerendi ad certas conflictationes solvendas non erat aptus, sed problema augere potuit.

Critica sui ipsius Archiabbati Norberto non deerat, quam vero - imprimis ultimis annis muneris - interdum exaggeravisse videtur. Alterā ex parte inter ultimam crisim interdum quaedam nimia existimatio sui apparuisse videtur, cum de interitū Archiabbatiae Congregationisque locutus est, si a munere se abdicaret. Tamen haec perceptio falsa certe condicioni effugium non praebenti debita erat, quam versimiliter ipse bene animadvertit.²⁸

Etiamsi ultimis annis muneris imbecillitates Archiabbatis Norberti magis apertae erant, quae non solum cum personā ipsius, sed etiam cum nimio onere laborum revera exstante cohaerebant, tamen aspectū publico erat vir maxime aestimatus, quocum boni effectūs Congregationis coniungebantur. Intra Archiabbatiam Congregationemque ultimis annis muneris perceptio confratrum aliquatenus obscurata erat - quod intellegi potest -, quamquam adhuc multi monachi erant, qui ei adhaerebant. Respicientibus autem atque e distantia historicā saepe quaedam aliquatenus clarius perspiciuntur. Archiabbas Norbertus erat vir multiplex, cuius indoles - etiam problematis terminisque suis internis - interdum erat in se repugnans et non semper facile capi potest. In summā pro Archiabbatiā atque Congregatione multa magna-que effecit et denique idem fuisse vir magni momenti aestimandus est.

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 231, 2023, pp. 61-69]

Cyrill SCHÄFER (2005), p. 205 certe iure meritoque existimat hoc strategema praesertim erga Thomam Spreiter non fuisse pessimum, cum episcopo propensio fuisset, quā in certas quaestiones insisteret - et imprimis erga Norbertum Weber - libenter ultimum verbum haberet.

28 Cyrill SCHÄFER (2005), p. 209 hōc in conexū scribit de Archiabbatis crisi nervorum.